

**DOCUMENT #43**  
**Bishop Bauer on Mendel's Death**  
**January 7, 1884**

---

30

F. D. W. 38  
1884

Admodum Reverendo et Religioso P. Antonino A l t , Priori  
Monasterii Vetero-Brunensi, AA. LL. at Phil. Doctori ceterisque ejusdem  
Reverendis et Religiosis Conventualibus.

Salutem et Apostolicam Benedictionem in Domino sempiternam !

Profecto tristissimus est, quem Nobis misistis, nuncius, dura morte  
sublatum Vobis fuisse, cui ante 15 fere annos per vota unanimi Patris  
locum tribuistis et quem summa, ut par fuit, observantia ac pietate Patrem  
venerati estis. Ipse enim plures Vestrum Religionis professione ex ore  
ipsorum suscepta filios sibi generavit, omnes autem eximia quadam ac pla-  
ne sigulari animi teneritudine complexus est.

Et nunc longe factus est a Vobis, defecit gaudium cordis Vestri, ver-  
sus est in luctum chorus Vester, pusilli facti estis absque Patre. Attamen  
a Domino factum est istud. Eapropter lugete quidem, Patres carissimi, at-  
tamen spes Vestra plena est beata immortalitate eius, cuius memoria in bene-  
dictione erit.

Si quo vero solatio opus est Vobis charitatis, percipite illud ex  
Nostri quoque vetis ac indignis precibus, ut qui salvandos salvat gratis,  
animam Gregorii a sanctis Angelis ad patriam Paradisi jubeat perducere, Ve-  
stram autem incolumem conservet familiam, usque dum dignum ei in Domino  
dispensatorem constitueritis. Quod quo magis speramus, optamus atque Deum  
enixis precibus oramus, eo lubentius assensu Nostre comprobamus, quos ut  
affirmatis secundum antiquam Monasterii Vestri observatiam<sup>am</sup> Administra-  
tores in spiritualibus et temporalibus capitulariter elegistis, videlicet:  
Adm. Rev. ac Rel. PP.

Antoninum Alt, Priorem,

Ambrosium Poye, Procuratorem,

Ernestum Schwetz, Magistrum clericorum et novitiorum,  
minime dubitantes, quin quos communibus votis elegistis, iisdem etiam  
proptam obedientiam et debitum honorem praestituri sitis.

Scripsimus Brunae in Episcopali Residentia Nostra die 7.  
mensis Januarii a. D. 1884.

Franco. Bauer.